

misso priores quoque epistulas morales Lucilio suo mittere coepit. aliquanto post Nonas Februarias anni sequentis de terrae motu egit (VI 1, 2; cf. 1, 10). aestate fere huius anni (63. p. Chr. n.), ne biennio quidem ante mortem, totum opus videtur perfecisse (Stud. I 311 sqq.). nimirum velocitate se pensaturum moram, damna aetatis labore sarturum esse senex profitetur (III praef. 1—4).

Libros octo Lucilio Iuniori misit, qui tum procurator Siciliae erat (IV praef. 1), sic fere inscriptos:

1. de aquis (terrestribus) = l. III qui vulgo numeratur
2. de Nilo = l. IV a
3. de nubibus = l. IV b
4. de fulminibus et tonitribus = l. II
5. de ventis = l. V
6. de terrae motu = l. VI
7. de cometis = l. VII
8. de ignibus caelestibus = l. I.

Octo enim olim fuisse libros, non septem, nunc constat (Stud. I 93). hoc primus G. D. Koeler (in editione a. 1819 edita p. 257) coniecit, quoniam argumenta prorsus diversa libro IV inesse perspexit. deinde Fridericus Haase in editione a. 1851 et in Indice lectionum Vratisl. a. 1859 emissis duos libros in unum IV conflatos male circumferri e codice Leidensi (L) et Vincentio Bellovacensi monstravit atque ad dissertationem quandam de nubibus conscriptam nunc initio libri IV b deperditam scriptorem IV 3, 6 et 13, 2 ipsum respicere observavit. his argumentis alia ante hos viginti annos Hermannus Diels addidit, qui imprimis placita de Nilo, quae a Laurentio Lydo traduntur, ita excerpta esse vidit, ut priora cum Annaeanis IV a 2 traditis plane conspirent, quae a Lydo adduntur, ea in Naturalibus Quaestionibus cum nunc desint post § 30 olim fuisse pateat: ex eodem igitur sed integriore opere haec quoque sumpta esse apparet. vel plures olim quam octo fuisse libellos veri est dissimile, certe probari non potest.

De ordine librorum turbato multi quaesiverunt (Stud. I